

DISPUTATIO ORDINARIA

Exhibens

PROT-EVANGELI-
UM PARADISIACUM

Analysi Grammatico-Logicò-Theologica explicatum

AC

Auxiliante benedicto Mulieris semine

PRAESIDE

M. LEVINO POUCHENIO,
Sanctæ Linguae Professore & Aulae
Electoralis concionatore.

Respondente

ANDREA MYLIO, Reg. Borusso,

*Ad placidam sententiarum collationem
propositum*

Die 7 Mart. in Auditorio magno.



REGIOMONTI.

Typis Laurentii Segebadii excusum,

Anno M DC XXIX.

inv. 165

2.9.165

264026

Generosis, Magnificis ac maxime Sirennis
DOMINIS

Dn. ANDREÆ à KREVTZEN,
Præfecto Provinciali.

Dn. MARTINO à VALLEN-
RODT, Cancellario.

Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliarijs &
Supremis Ducatus Borussiae Regentibus,
Dominis Mæcenatibus & Patronis meis magnis
omni honoris cultu venerandis :

NEC NON

VIRIS Amplissimis, Prudentissimis & Consultissimis

Dn. CHRISTIANO WINTERO,
Serenissimi Electoris Brandenburgici Se-
cretario intimo.

Dn. HIOBO LEPNERO,

Dn. BERNHARDO Sarenheidt /


Dn. HENRICO von Mülsen /

Florentissimæ in Regio-Borussiae mōte
Reipublicæ, Illi, Palæopolitanæ, His, Cneiphovi-
anæ, Senatoribus præstantissimis.

*Dominis Fautoribus & Promotoribus pluri-
mum colendis*

*Disputationem hanc in gratitudinis demonstratio-
nem & mei ulteriorem commendationem*
submissè defero

Andreas Mylius, Resp.



hury
T H E S I S I.



CHRISTUS unicus totius Scri-
pturæ scopus est, quem nescire, mori, quem nosse,
vivere est; quem spernere, perire; cui servire, re-
gnare est, ut mellitissimus Patrum *Augustinus*,
tractat. de spec. c. 33. pronunciat. Ideoq; jubemur Eum & in
scripturis V. T. scrutari *Ioh. 5, 39.* Non enim cum Photini-
anis putandum, lectionem scripturarum V. T. Christiano
homini necessariam non esse, *Faust: Socin: de Scrips. S. auto-
ritate C. 1. p. 36.* cum in illis religionis Christianæ veritas
comprehensa non habeatur, *Catech: Racov: Germ: p. 9.* idcir-
co Patres omnesq; pios V. T. salvificâ in Messiam fide desti-
tutos fuisse, *Socin: in lib. Quod Evangelici &c. p. 61, 62. Cal.
p. 307.* Contrarium enim docent Christi *Ioh. 5, 46.* & Apo-
stolorum, *Act. 7, 13.* contra Judæos disputationes, in quibus
V. T. in subsidium adhibuerunt, eiq; illo doctrinæ, de
Messia, veritatem demonstrarunt, *Luc. 24, 27. Act. 26, 22.*
Falsitatem Photinianæ assertionis demonstrant de Messia
promissiones: siquidem de Christo, cornu illo salutis locuti
à seculo Propheta Domini, *Luc. 1, 70.* ac scrutati sunt gra-
tiam ac salutem DEI per Christum hominibus conferendam,
& Spiritu Christi, qui in ipsis fuit, prædixerunt de passio-
nibus ejus, *1. Petr. 1, 10.* Unde planum esse potest præscos Pa-
tres verâ in Christum fide salutem consecutos esse, ob quam
fidem Abraham Pater credentium dictus est, *Rom. 4, 11.*

II. Juvat ergo, in Christi *θεανθρωπος* gloriam, nostri adifi-
cationem, vividam conscientiarum consolationem Paradisi-
acum Evangelium à Mose *Gen. 3, 15.* descriptum, sub exa-

men placidæ collationis Academicæ revocare, quia hoc & primum est, & meritò omnium, tam V. quam N. T. Evangelicarum concionum & promissionum fons ac scaturigo habetur, cum nihil de Messie persona ac officio dici queat, cujus non contineat succinctam prædictionem.

Tu verò, O aterne DEVS, mitte sapientiam tuam è sancto tuo cælo, ex throno magnitudinis tue, ut, mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: Præsta, ut quod credo, etiam loquar: Doce me viam justificationum tuarum, ut observem eam in finem, & nulla ex parte majestati tue displiceam, per ac propter benedictum mulieris semen. Amen! Amen!

III. Idcirco, postquam DEUS serpenti, qui quasi gladius quidam servivit Diabolicæ malitiæ, triplicem pœnam dixerat: Nam I. maledicitur ei quoad formam, ut, qui antè sub benedictione DEI fuerat, postmodum universis Creaturis infamis factus sit. Deindè gressus ejus mutatur; qui enim antea erecto capite inceserat, super ventrem repere jubetur. Tertio quoad partem damnatur, ut, cujus cibus fuit olus seu herba agri, ad pulveris esum abjiciatur. (Hinc colligimus,

1. *Iuste bestia ἀλόγω pœnam inflictam esse, licet non ipsa, sed in ea Diabolus hominem seduxerit.*

2. *Posse quidem hanc triplicem pœnam mysticè ad Diabolum transferri, literaliter tamen eandem solum de serpente naturali intelligendam esse.)*

Tandem homini peccatori in remedium, serpenti seductori in pœnam promittitur semen mulieris: ut enim ex una parte maledicitur Diabolo, & merita infligitur pœna: Ita ex altera parte hominibus benedicitur, ac viva humano generi accrescit consolatio, quæ omnia Moyses, μέγας ἱερολόγος his verbis instinctu Spiritus Sancti 2. Pet. 1, 21. describit.

ואבה אשית בינך ובין האשה ובין
רעך ובין זרעה:

IV. Evangelica hæc verba analyti Grammatico-Logico-Theologicâ explicaturi. I. Notamus eorum *Autorem*, qui præcedente versu 14. nominatur יהוה אלהים

V. Nomen יהוה derivatum est à radice immediata יהוה
 fuit, existit, notatq; æternam in essendo continuationem.
 Nunquam plurale, sed semper & tantum singulare est, uni ac
 soli DEO proprium, & essenziale, quo ab omnibus distingui-
 tur creaturis, maximèq; essentialitatis divinæ unitatem exprimit.
 Variè quidem scribitur: In canone autem plenè ac inte-
 grè scribitur quatuor literis ac tribus punctis, quæ non sunt
 propria, olim ab ipso DEO & Prophetis in pronuntiatione
 usitata; sed aliena, nominis sc. vel יהוה אלהי quando יהוה: E-
 lohim vel præcedit, vel sequitur: Vel Elohim quando idem
 Adonai vel præcedit vel sequitur. Hoc quidem in loco per
 puncta Adonai legitur, cujus punctum primum Hæthepha-
 tah propter literam Jod non gutturalem in scheva simplex
 mutatur & ultimum Jod in Hæth quiescit. Ad hanc literam Hæ-
 th ultimam sese literæ Begadkephat sequentis dictionis non
 accommodant, post quam quiescentem alias regulariter li-
 teræ dictæ sex dages leni carere solent; sed ad Adonai &
 Elohim, post quorum ultimam mobilem (Jod enim per
 mappik moveri dicitur) leniter dagesantur. Quando præ-
 fixis combinatur, non sequitur regularem punctationem,
 sed ubiq; Adonai vel Elohim æmulatur, Hæth emphaticum pe-
 nitus respuit, ut & suffixa nunquam assumit. Hujus nomi-
 nis synonyma sunt יהוה אלהי ero, quod verè nomen proprium
 est, quod ab יהוה derivatum non est. Sed de his & alijs
 alibi fufus.

- Not: 1. Nomen hoc creaturis attribui non potest.
 2. Genuina hujus nominis pronuntiatio inter Iudeos in
 pœnam amissa est.
 3. Pronuntiatio nominis יהוה: per Iehova vel Iehovih est
 quidem aliena non tamen in totum improbanda, aut cum blasphem-
 ia conjuncta.
 4. Nomen hoc Mose primum non est revelatum.

VI. יהוה est pluralis numeri, à singulari יהוה quæ
 vox aut primitiva est, aut à radice inusitatâ יהוה formæ

תמה נזה כמה נזה Ineptè à quibusdam scribitur sine aspi-
 ratione אלהי contra expressum usum biblicum. Rabbinii
 hoc nomine significari putant proprietatem judicis, ac no-
 tari DEUM judicem scelerum: Sicut יהוה significat miseri-
 cordiæ proprietatem, Propriè acceptum soli DEO compe-
 tit, neq; idolis nisi per malitiosam fictionem, nec Angelis ac
 hominibus, nisi per quandam translationem, & non nisi in
 plurali tribuitur: In solius enim DEI nomine juratur; is so-
 lus per juramenta honoratur & eorum æstimator est, quia
 solus *αυτονομος*. Vox hæc propriè personæ, non essentiæ
 nomen est. Cum affixis semper est numeri pluralis præter
 unum, *Habac. 1, 11.* alibi nusquam contingit. Constructur
 non solum cum adjectivo ac verbo singularis numeri ut *Pf.
 7, 10. Gen. 1, 26.* sed etiam cum adjectivo & verbo pluralis
 numeri ut *Ios. 24, 19. Gen. 20, 13.* ibi ad denotandam essen-
 tiæ unitatem, hic ad denotandam personarum pluralitatem.
 Πος: 1. אלהי non est ab אלה quod est DEVS fortis, nec conve-
 nienter à radice אלה jurare deducitur, licet ei significatio à radice
 אלה attribui videatur.

2. Inepta est Cardinalis Cajetani, & qui eum sequuntur
Enjedini. Drusij sententia, statuentium, hoc nomen quo ad flexio-
 nem tantum esse numeri pluralis, quo ad significationem: verò nu-
 meri singularis.

3. Nomen hoc plurale, plures in una essentia divina per-
 sonas esse non obscure innuit.

VII. Auctor itaq; hujus promissionis est DEVS in essen-
 tia unus, in personis trinus. Nam agitur hic de opere Trinita-
 tis ad extra sc. humani generis salute, quod, juxta tritam
 Augustini regulam, tribus personis commune est, servatâ ta-
 men personarum proprietate. Vbi non improbamus illorū
 sententiam, qui volunt unam ex tribus personis Oratoris
 sustinuisse vices, & Evangelica verba ex arcano Sacro-San-
 ctæ Trinitatis consistorio protulisse. Quæ, dubio procul, fuit
 secunda Trinitatis persona, *λογος* ille æternus, essentialis, &
 per se

per se subsistens, qui est DEUS, & in principio apud DEUM fuit, per quem omnia facta sunt, qui omnia vivificat & illuminat, qui fuit in mundo & fecit mundum, qui est unigenitus filius in sinu Patris, cujus decreta revelat, *Iob. 1, 1. 2.* Quæ ἑρκείμενα ita sunt comparata, ut non nisi substantiæ per se subsistenti & verè divinx competant. Verbum hoc non desinit prolarum, sed permanet natum: non transitorium, sed æternum: non factum à DEO Patre, sed genitum, nec solum genitum, sed & unigenitum: piè & eruditè inquit *Fulgentio* in sermone de nativitate.

Πο: 1. DEVS est unus & trinus.

2. Messias est Iehova quo ad divinam naturam, quippe non est diversa ab essentia Patris & Spiritus Sancti.

3. Verba hac promissionis auctoritatem & ἐνεργειαν inter-nam habent, quia à DEO, qui ἀνταλήθεια est, prodire, *2. Tim. 3, 16.*

VIII. Determinamus II. promissionis objectum, quod inimicitia, quas DEUS, iustus iudex posuit, textus his verbis exprimi, ואיבה אֵיבָה

IX. ואיבה Vau est conjunctio copulativa cum regulari puncto. Multiplex quidem ejus usus in Sacra Scriptura est: præterquam enim, quod aliquando præteritum in futurum & vice versâ, futurum in præteritum mutat, varios Ebraismos & schemata dicendi pulcherrima efficit, ut necesse sit alio atq; alio modo in latinum aut alium sermonem transferre, quæ ex accurata Bibliorum lectione observanda. Inceptè tamen *Piscator eam Gen. 10, 16, 17, 18. &c.* per Mercatorum *Item*, quod germanicum non est, expressit. Aliquando inceptiva conjunctio est, id est usu linguæ sanctæ, ac *Kimchio in lib. Schorasch. Techillath debarim*, principium verborum dicitur. ואיבה Nomen fœm. absq; plurali: in regimine vertit ה in ת. Radix est איב inimicatus est, fuit. Significat odium implacabile. LXX nominant ἔχθραν, quod est ὀδὴ & ἔχθος, i. e. harere, & est odium, quod animo infixum hæret, *Num. 35, 22. Ἀπὸ μῦθῳ* iram memorem vocant, Hinc *Tharg. Onck.*

appositi;

appositè: Ipse erit memor &c. Synonymum ejus est אָשׁוּ
quanquam illud odium seu inimicitiam seculi. *Ezech. 35, 5.*
hoc vero odium quodcumq; designet, quodq; interdum re-
spectu ad alterum, quem amas, est odio habere, i. e. non ita
diligere, posthabere, quo sensu habetur, *Gen. 25, 21, Rom. 9,*
13. Oppositum est אָרְבָּה

Πορ: 1. *Malè vulgata versio copulativam particulam omittit.*

2. *Vau non semper ad conjungendum verbum verbo usur-*
patur.

3. *Odisse non semper inimicum affectum, sed nonnunquam*
negligere, aut posthabere significat, quod observent absoluto-de-
cretifices.

X. אָשׁוּ Fut. Hiphil. i. pers. sing. num. caret enim fu-
turo in i. Conjugat. Radix est אָשׁוּ ē numero quiescentium
secundâ radicali Vau vel Jod. Hinc אָשׁוּ nates, q. positivum
dicas, quia homo sessurus, se in eam partem, ponit. Signifi-
cat ponere arte s. curâ disponere, ac modo significandi dif-
ferit à אָשׁוּ & אָשׁוּ quorum illud dicitur de positione poculi
ad os i. e. bibere, *Exod. 34, 28.* Hoc propriè est lotium ad
parietem ponere, aut in vas aliud i. e. mingere. Vfus hujus
verbi est varius, quo de consulendi lexicographi.

Πορ: *Omne decretum DEI est firmissimum & ratione even-*
tus certissimum: quippe DEI consilium stabit, & omnis voluntas
ejus fiet, Es. 46, 10.

XI. Innuitur his verbis, detectâ simulatâ Diaboli ami-
citiâ, DEUM irreconciliabiles, nullis inducijs aut pacis tra-
ctationibus limitatas posuisse inimicitias. Quas posuit DE-
US non causaliter s. effectivè: quoniam non DEUS volens
iniquitates est, *Psal. 55, 5.* sed judicialiter ut judex; non Dia-
boli cor ad iram ac odium inflammando; sed novū pactum
cum hominibus de subsecuturo mulieris semine sanciendo;
undè tanquam è consequenti positæ fuerunt inimicitia.
Eæq; non naturales, aliâs antipathia dictæ, qualis inter Ele-
phantem & murem est, quæ animalia naturâ sibi adversan-
tur:.

tur: nec *civiles*, quales in vita communi reprehendit Paulus *Ephes. 4. 31.* sed *spirituales*, quæ in negotiis salutis cōsistunt, id quod constat ex scripturæ interpretatione, inimicitiarū perpetuitate, solatii denegatione, absurdorum contrariæ sententiæ consecutione, prout prolixè in *pralectionibus publicis* super hunc locum monstravimus. Nec est, ut quis provocet ad experientiam, quæ testatur, hominibus cum serpentibus odium naturale intercedere. Nam uti hoc ipsum, libenter concedimus: ita illud solum hic intelligendum esse pernegamus, cum nec perpetuum, nec tantum inter homines & serpentes; sed etiam reliquas bestias sit; undè & alia animalia ab hominibus occiduntur, & multò crebrius, quàm serpentes, quos homines præsertim mulieres, plerùmque fugiunt potius, quàm ut ijs capiendis sint intenti. Hoc verò in loco de singulari pœna soli serpenti ob singulare seductionis flagitium inflictâ agitur.

Notæ: 1. Calviniani in *DEVM* injuriosi sunt, statuentes, Eum esse autorem non tantum mali pœnae (prout moderni subtiliores, tribuante tamen calamo, explicant) sed etiam culpe.

2. Calvinus & ejus sectatores judaizant & phorinianismum promovent, intelligentes naturale quoddam odium inter genus humanum & serpentinum.

XII. Jam distinctum inter quos & quales inimicitias ponat DEUS, indicatur. Verba sunt ista:

כִּינָךְ וּבֵין הָאָדָמָה וּבֵין זֶרַעךָ וּבֵין זֶרַעָהּ

XIII. כִּינָךְ Plerumque pro præpositione usurpatur; non rarò tamen naturam nominis induit, cum forme plurale duplex, & duale, suscipiatque affixa. Plurale femininum absolutè habetur, *Gen. 10. 26.* cum affixis *Gen. 26. 28. C. 43. 23.* Masculinum tantum cum affixis occurrit: Duale semel est *1. Sam. 17. 4.* Est ipsa radix & significat *inter, intra, medio.* Casum accusativum indicat, quia activo verbo subjicitur. Ebraismi hic observandi: Nam 1. Cum usurpatur de duobus contrarijs, bis ponitur, *Gen. 1. 4* 2. Si semel adhibeatur,

tunc loco secundi ponitur Lamed, *Gen. 1. 6. 3.* Quando de una re est sermo unico etiam בין utimur.

Πορ: בין non est à בין Bin quod significat aliquid mente dispo-
nere, ut vult Forsterus in Lexico.

XIV. וּבִן הָאִשָּׁה Vau est copulativum, loco scheva ha-
bet schurec ob literam sequentem בִּימָה & pronunciatio-
ne m suam amittit, ita ut q. in vocalem degeneret, הָ est *Seco*
κλιον, cuius genuinum punctum est patach, h. 1. habet ca-
metz, ob sequentem indageffabilem. אִשָּׁה nomen & genere
& declinatione fœmininū à masc. אִישׁ Ratio eym. ex *Gen.*
2. 23. manifesta est: eleganter Symmachus reddidit novo
vocabulo ἀνδρῆς q. d. *vir*. Jod masculini generis transit in
dages, idē ad differentiam אִשָּׁה *vir* ejus. Notat propriē fœ-
minam nuptam, quæ semen habere potest: mox enim femi-
nis fit mentio.

Πορ: 1. Vau in וּבִין & fulcrum & consonans est: falsum enim
est: Vau, quando est fulcrum & schurec, non esse literam: Imò fal-
sum est & hoc: Schurec perpetuò suum abjicere fulcrum, quando
immediatē Vau consonans & vocalis schurec concurrunt.

2. אִשָּׁה ineptè in vulgata versione redditur virago.

3. אִשָּׁה non potest significare assumptionem, ut vult Hiero-
nymus è sententia Theodotionis.

XV. וְיָרַע est nomen masculinum genere & declinatio-
ne, absolutē יָרַע, in fine suffixum secundæ personæ masculi-
num ך̄ mediante scheva composito ob gutturalem adnecti-
tur. Radix est יָרַע feminavit, sevit. Amplissimæ est signifi-
cationis: hoc in loco Metaphoricè Diaboli progeniem dei
notat, *Iob. 3. 44.* Cognatum ejus facit Forsterus in Lexico יָרַע
auxilium, adjuvamen, quod semen auxilium sit, ne pereat
posteritas.

Πορ: Phrasi Ebraâ filij dicuntur non solum, qui è stirpe alicujus
oriuntur; sed etiam qui mores & ingenium alterius imitantur,
aut aliâ ratione alicui addicti sunt.

XVI. *אָרִי* in fine suffixum 7̄ tertiæ personæ fœm. generis mediante cameræ est. Hoc in loco individualiter Messiam notat, ut mox dicitur.

Hog: Vox semini sæpè unicam notat personam, Gen. 4. 25. Gal. 3. 16.

XVII. Geminae q. acies hostiliter oppositæ, his verbis introducuntur: in priori par hostium est, Satan, & Mulier, seductor & seducta. Ad Satanam enim principem peccati & divinæ imaginis à primordio prædonem, hæc pertinere litera docet; is cum affectasset dominium & jus miserimæ servitutis in hominem, ejusq. posteros, idq. jam se consecutum triumphasset, audit Deum ipsum se interponentem judicem, & hominem, non in mancipium libidinis Diabolicæ; sed in hostem capitalem constituentem, qui non minus ægrè facturus sit serpenti, quàm serpens ipsi. Non quidem excludimus serpentem naturalem, sed jungimus Diabolo, tanquam ejus organon, quò uti voluit. Diabolus princeps causa directrix, serpens instrumentum totius hujus actus fuit. Nam Diabolus se ipsum retergens & sine instrumentis agens Evam potius decerruisset, quàm in scelus suū pellexisset. Vfus itaq. cit serpente, tanquam instrumento, ejusq. naturam movit eo modo, quo ille movere, & illa moveri potuit, ad exprimendos verborum sonos & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem, ut eleganter *August. 10m. 3. l. 11. de Gen. ad lit. cap. 27.*

Hog: 1. Serpens, qui Evam decepit, non fuit Christus, ut Ophitæ somniabant, referente Augustino lib. de heres. ad quod Vult. c. 17.

2. Nec solus Dæmon, ut vult Cajetanus.

3. Multo minùs species aut simulachrum serpentis, ut opinatur Cyrillus adversus Julian. Apost. lib. 3.

XVIII. Et hæc verior expositio comprobatur. I. *A 10. tiva scriptura expositione*, quæ tota lapsum generis humani Diabolo adscribit. *Lib. sapientia c. 2, 24.* perhibet, invidiâ Diaboli, mortem intrasse in mundum. *Paulus scribit 2. Cor. 11. 3.*

Evam ab eo deceptam, cujus ministri erant Pseudo-Apostoli, qui v. 15. ministri Satanæ dicuntur, *Christus Ioh. 8. 44.* Diabolum nominat homicidam & mendacem ab initio. 2. *A loquela & disputandi artifices.* Loquitur enim & ratiocinatur hic serpens, adeoq; versutissimâ blandiloquentiâ & incredibili sophisticandi sagacitate Evæ verbum DEI clarissimū eripit, ac pro eo incautæ mendacium callidissimum substituit: At hoc non est bestiar, sed rationalis creaturæ. Hoc multi è Rabbinitis agnoverunt; unius solummodo verba citamus, quæ allegat *R. Abrah. Aben. Ezra com. in Gen. scribens: Dixit R. Saadia Gao. Quandoquidem exploratum est nobis quod non sit sermo scripturæ nisi in homine solo, cogimur dicere, quod serpens sicut & asina (Bileami Num. 22.) non locuti sint sed Angelus quispian locutus fuerit per eos. Qualis autem fuerit Angelus, faciè patet: bonus certè non: Nulla enim creatura, nisi creatori rebellis ac inimica tam impudenter contradixisset: non mortemini, cum ipse dixisset, morte moriemini.* Ergò Diabolus apostata, hostis DEI, hujus rei architectus fuit, qui ex nefariâ invidia felicitatis, è quâ ipse exciderat, hominem miserè circumvenit. 3. *Ab effectu,* quem *Johannes 1. Epist. 3. 8.* declarat, quando semen benedictum i. e. Christum in hoc apparuisse asserit, non ut destruat insidias serpentis naturalis, sed opera Diaboli. Taceo alia argumenta, quæ desumuntur à contextus ratione, à proportionis inter pœnam seductoris & seducti negatione, Patrum ac Rabbitorum testificatione, multorum ex adversa sententia absurdorum consecutione, *de quibus vide prælectiones publicas.*

Neg: Falsum 1. *Serpentem ab initio fuisse sermone & intelligentiâ à DEO instructam ut vult Ioseph. l. 1. antiq. c. 2.*

2. *Serpentem fuisse callidorem homine.*

XIX. Verè itaq; plumbei ac carnalis judicij homines in rebus divinis sunt judæi, & qui eos sequuntur Calvinus & Photiniani, serpentem naturalem, animalculum-brutum hic

hic intelligentes, quod homine callidius faciunt, ratione præditum asserunt, loquendi facultate donant, quæ omnia soli homini competere novimus. Vetus ergo, quæ anilibus delectantur nugis, tale quid persuadeant, apud homines doctos nihil efficiunt.

XX. Per mulierem Eva intelligitur, id quod præter alia emphasis vocis נשׂא demonstrat. Et quomodo de alia muliere DEUS loqui potuisset, quæ non erat in rerum natura? Non Ens nec concipere, nec intelligere possumus: Ergo sine omni dubio mulier, quæ existit, intelligenda erit, quæ nulla alia, quàm Eva. Non tamen excluditur Adam, ut nec posteritas, quam representabant: sed mulier Satanz opponitur tanquam vas infirmius, ex quo erat pudefaciendus; & quia in muliere primam tyrannidis & superbiz libidinem exercuerat, vel etiam, quia mulier prævaricatrix vel maxime consolatione egebat. Ac sine dubio, voce mulieris ad incarnationem & nativitatem Messiz respicitur: Quem admodum enim ex muliere perditio generis humani est; ita quoque ex muliere nascetur Salvator mundi, qui est Christus. *Luc. 2, 11.* Et hæc ratio, quod in textu non habeatur נקבה quod sexus nomen est, notans quæcunq; foeminã; sed נשׂא ut intelligas proprie hinc desponsatam s. nupiam significari.

1. Per mulierem perperam Pontificij Mariam intelligunt.

2. Nec satis convenienter Ecclesiam hic notari quidam existimant.

3. Gravius Eva peccavit, quam Adam, quia gravius punitur, & precipue solatio egebat.

XXI. In posteriori acie par hostium est, semen mulieris & Diabolus cum universo suo sodalicio. Semen mulieris individualiter μονοπροσωπος notat Christum. Nam ceteri homines proprie semen mulieris non possunt appellari; sed potius semen viri & mulieris, e. semen ουνεξου concretum, non autem εκκεξου excreium ex uno principio, ut eruditè

monet *Iunius in praelect. in Gen. tom. 1. p. 85.* Ideoq; ceteri homines, quamvis nati ex foeminis dicantur, geniti tamen non simpliciter ex foeminis; sed è sanguinibus dicuntur *Iob. 1, 13.* Christus verò propriè secundum carnem semen est mulieris seu factus ex muliere, *Gal. 4, 4. h. e. semen excretum à Spiritu S. de essentia virginis Ieronimus*, fortumq; virtute illius, affirmante Angelo, *Matth. 1, 20.* Id quod luculenter confirmatur verbis Jacobi, *Gen. 49, 10.* ubi è *יְהוָה יְבָרְכֶנּוּ* appellatur; quâ appellatione foemina designatur, quia foeminarum secundæ sunt. Accedit locus *Esa. 7, 14* ubi Messias filius virginis dicitur.

Πορ: 1. *Silob, non ineptè explicatur, secundinarius.*

2. *Mater Messia verè virgo est.*

3. *Christus est verus homo, quia semen mulieris.*

XXII. Non itaq; morosè Calvinus exagitur, nec maliciosè sententia ejus depravatur, ut Pareus in *Com. Gen. 3, 15. p. 549.* nugatur, cum dicitur eum Judaismo viam sternere, Photinianismum promoveri, quia in *Com. super cap. Gen. 3.* Orthodoxam nostram expositionem, violentam detorsionem vocat, ac nomen collectivum (semen) de uno tantum homine accipi non concedit. Sed Calvinus & omnes, qui eum sequuntur. 1. *Impudenter Mosi & Paulo contradicunt*, qui uterq; seminis vocabulum de uno tantum homine accipiunt. Ille *Gen. 4, 25.* Sethum vocat semen, quod Pareus, qui tamen *ἡμετέροισιν* Calvini sese præstare conatus est, d. l. p. 659. ipse agnoscit. Sic *Gen. 22, 18.* per semen, in quo benedictur omnes gentes, non nisi unus & unicus Christus intelligi potest, quippe, quod non in alio salus sit, quam in Christo. *Act. 4, 12.* Hic ad *Gal. 3, 16.* scribit: non dicit de seminibus, tanquam multis; sed tanquam de uno, & in semine tuo, qui est Christus. 2. *Malitiosè officium Messia proprium posteris Evæ commune faciunt.* Nam qui solus caput serpentis conterit, is solus hic per semen intelligitur: solus autem Messias, qui est Christus, conterit caput serpentis: ergo solus Messias

Messias per semen hic intelligitur. *Majorem* Logicorum regula firmat: de quo enim negatur predicatum; de eo etiam negatur subjectum; de posteris Evæ negatur predicatum, scilicet, contere caput serpentis; Ergo & subjectum nimirum semen mulieris. *Minorem* Pareus in *Calvino Orthodoxo* adprobat, dum asserit; contere caput serpentinum non esse quorumvis hominum, sed divinæ virtutis: talem ergo victorem ex semine mulieris promitti, qui quidem verus homo, sed simul verus DEUS: Hunc verò esse unum Christum ex omnibus & omnium caput, cujus proinde victoria sit omnium. 3. *Morose* impletionem in *N. T.* negant. Oraculorum optimus interpret eventus est. Hic autem nostram expositionem comprobat: solus enim Christus est semen mulieris, sine virili semine, ipse solus serpentis antiqui caput contrivit, & conterit, ut constat ex *Luc. 10, 18. Iob. 32, 31. 1. Iob. 3, 8. Hebr. 2, 14. Apoc. 20, 23.* Ipse Christus in statu exinanitionis sensit calcanei morsus, ut docetur, *Esa. 53. Psal. 22. Matth. 26.*

Πορ: 1. *Fax & tuba incendij Photiniani est Theologia Calvinii,*
 2. *Αθεολογος est dicere, omnes homines in communi destruere regnum Diaboli.*

XXIII. Nec est quod Pareus nobis objiciat, posteros Evæ, omnesq; fideles victoriâ de Satana reportare: siquidem nervum quaestionis non attingit. Quæritur enim hic de opere redemptionis, quod uni, ac soli Christo competit, *Esa. 43, 24. c. 53, 34. c. 63, 3.* Pareus verò de fructu & effectu operis Christi agit, cujus respectu, omnes p̄i vi, virtute & efficacîâ victoriæ Christi verâ fide applicatæ Diabolum & mundum vincunt, 1. *Iob. 5, 4.* quæ duo distinctissima sunt.

Dicimur quidem vincere mundum, vincere malignū; non verò contere caput serpentis. Hoc loquitur de opere redemptionis & significat abolere mortem, tollere peccatum, destruere infernum, quod in solidum divinæ virtutis competit: illud verò fructum inde emanantem notat, atq; fidelibus

ſidelibus competit. Hoc expreſſè in textu habetur: illud non niſi per conſequentiam ex alijs locis deducitur. Jam non in quaſtione eſt, quid mediatè è textu per conſequentiam deducatur; ſed quid immediatè & literaliter verbis ſignificetur. Quapropter debebat Pareus noſtram victoriam è fundamento deducere, quam ipſe nondum demonſtrata ponit fundamentum demonſtrandæ victoriæ Chriſti, quod eſt, adverſo fluvio navigare.

Not: 1. Non neceſſe eſt ut termini in una periodo ſibi oppoſiti, eandem proxiſus habeant ſignificationem.

2. *Vaticinia de Chriſto quedam implentur in ſolo Chriſto, quedam ſimul in capite & in membris.*

XXIV. Serpentis ſemen appellantur filij Diaboli, 1. *Job. 3. 10.* non ratione ſubſtantia, quaſi Diabolus generet vel generetur, cum è numero Angelorum ſit quorum natura eſt, ut nec nubant, nec nubantur, *Luc. 20. 35*, ſed ratione alterationis ac transformationis in malum, quâ transformati ſunt in imaginem principis Diaboli, quem ſcriptura Beelzebub nominat, *Luc. 11. 15*, cujus principatum ſequitur tota Diabolorum congeries, omnesq; filij hujus ſæculi, *Luc. 16. 8.* qui operam dant impietati & injuſtitia, ſeminâtes iniquitatem *Job. 4. 8.* Homines ab orbe condito non ceſſarunt contra Chriſtum pugnare, ſed partim lupinâ ferociâ, partim ovinâ manſuetudine Chriſtum, eiſq; adherentes hoſtiliter aggreſſi ſunt, idq; cælum clamat, loquitur. (ut alia taceam) ſanguis martyrum Jeſu, judicium ac vindictam poſtulans. *Apoç. 6. 10.* Quâ de re vide elegantè differentem, *Auguſt. in Com. ſuper Pſal. 39.*

Not: 1. Diabolum non unum eſſe, ſed plures.

2. *In DEVM blaſphemi, hominibus omnium ordinum inſenſi ſunt.*

XXV. Antecedentis illius inimicitia & certaminis III. eventum demonſtrant verba hæc: *הוא ישופך ראש ואתך*
הוא ישופך ראש ואתך

XXVI. **איה** ipse vel ipsum se. semen, est pronom. de-
 monst. tertiae pers. gen. masc. Probant hic suam inscitiam
 ac socordiam insulsi Monachi. Esavitæ, qui, ut non veriti sunt
 totum Psalterium ausu nefario ad Mariam dirigere: ita
 hoc aureum protevangelium insigni malitiâ ad idololatri-
 cas B. Virginis laudes & has subsecutam invocationem de-
 torserunt, idq; ut *Huntlaus contr. 1. c. 18. §. 13. inquit*, iudicio
 Calvini, Bezae, Oecolampadij. Vndè Mariam his verbis hor-
 norant: *Hac est mulier virtutis, qua contrivit caput serpentis:*
hanc peccatores devotè adoramus, rea pectora tundimus, dicentes:
Sancta, Sancta, Sancta Maria, clemens & pia Domina nostra.
Antiph. de Domina nostra. Adoro & benedico beatissimos pedes
tuos, quibus antiqui serpentis cum omnibus pompis ejus caput cal-
casti &c. Orat. de omnib. membr. Maria. Obstupescite caeli su-
per hanc malitiam, Jer. 2, 12! O crassam εἰδωλομανίαν! O in-
tolerabilem temeritatem! Hanc compescamus 1. Gramma-
tica fontibus: Vocula **איה** est gener. masculini; quæ proindè
איה quadrare non potest. Præterea sequitur in textu ver-
 bum masc. generis **איה**, quod fœminino sexui, nō nisi val-
 dè imperitè ac inconvenienter attribuere licet. Porro af-
 fixum masculini generis in voce **איה**, quod juxta indolem
 linguae cum fœm. non construi novimus. Licet itaq; ido-
 lolatraz mentiri possent, vocem scriptam esse **איה** non **איה**
 nequaquam tamen reliqui textus claritatem eludere vale-
 bunt. Vndè vi veritatis convictus, *Gregor. de Valent. in a-*
nalysi fid. Cathol. l. 8. p. 97. lit. E. fatetur, juxta vim verbi
 Ebraici dicendum esse, *ipse. 2. Omnium codicum ac inter-*
pretum veterum ac doctiorum Pontificiorum testimonijs. Omnes
 codices in hunc usq; diem legunt **איה** ipse, & ante Christi
 tempora sic fuisse lectum LXX. versio evincit, quæ, etsi vo-
 cabulum **איה** neutrum sit, tamen relativum **איה** sub-
 jungit in masculino, quod non ad vocem, sed ad sensum
 refertur. Sic quoq; cæteri interpretes omnes Ebrazi legunt,
 quos *Merc. 79 in Gen. p. 90. & 91. citat.* Nec Malorethæ diversi-

ratem ullam lectionis annotarunt. Testatur etiam *Robert. Steph. in præfatione Bibl. Vatabli.* vetustissima exemplaria latina habere ipse, & non ipsa. Ideoq; in exemplari recentiori, quod jussu Sixti V. & Clementis VIII. editum est, restitutum est ipse. Et hanc versionem suo calculo approbant doctissimi Pontificij: *Arias Montanus, Andræus, Isidorus Clarus, Lucas Burgensis, Melchior Canus, Cajetanus, Lovanienses,* & alij bene multi, quorum loca indicantur apud *Vittaker. & Lubertum in disp. adversus Bellarmini controu. t.* Hæc videns *Pererius* in commentarijs suis satis prolixis super *Genesis*, quæstionem hanc sicco pede præterire maluit, quam apertissimæ veritati contradicere. Taceo alia fundamenta, quæ vide in *prælect. nostris, memb. 5. quæst. 1.*

Πορ: 1. *Textus Ebraeus corruptus non est.*

2. *Versio vulgata multis scætet erroribus.*

3. *Inter doctores Pontificios nulla est concordia, quam ad nauseam alias jaçterant.*

XXVII. שׁוֹפֵךְ est futur. tertix personæ in Kal. mascul. generis, sed est nota Charact. sur. in fine est affixum secundæ personæ. Radix est שׁוֹפֵךְ ex ordine quiescentium secundâ radicali. Quater tantum in Biblijs legitur; bis hoc in loco, quorum prius *Ionathas Chaldaeus & Thargum Hierosolymitanum* rectè reddiderunt per מָחַיִן & חָטַט vulneravit, occidit: posterius verò per נָכַח *memordit*, discrimine sumpto à subiecto. In opere Regio utrobique habetur שׁוֹפֵךְ quod observare est. s. tenacem & memorem esse injuriarum. In Buxt. Biblijs priori loco est שׁוֹפֵךְ ipse erit memor; posteriori est שׁוֹפֵךְ tu eris observans. Græci habent *τηνησας* observabis; quadam tamen exemplaria habent *λεινησας* affliges, quod in *V Vechel.* notatum est. Legitur etiam *Iob. 9. 17. & Psal. 139. 11.* connotatæ significationis verba videntur esse שׁוֹפֵךְ calcavit, שׁוֹפֵךְ dispersit שׁוֹפֵךְ sufflavit. Contrarium ejus facit *Forsterus in Lex. p. 881.* שׁוֹפֵךְ quod eminere significat, ex inferiore loco ad superiorem ferri: aut שׁוֹפֵךְ ex præcipitio superiore inferius ferri,

Pop: 1. *Ταχύτες convenientius est Ebraeo textui.*

2. *Rectè Lutherus perireuen; quam vocem novitatis suo-
dio Herborensis mutat in jersnitschen.*

XXVIII. ראש Nomen masc. gen. accusat. casus. Con-
struuntur enim hoc in loco duo accusativi cum verbo per
ellipsin, *conteret te caput i. e. secundum caput, ut probè
Clariss. Dn. D. Helvicus in hunc locum notavit. Kimchi putat
esse ellipsin literæ כ pro ראש in capite ut 2. Paral. 34, 30.
dicitur בית ביה in domo. Propriè caput notat,
quod Plato in Timæo vocat membrum corporis diviniissi-
mum, Talatitiè de varijs usurpatur rebus, quas significatio-
nes & prolixè & eleganter satis recenset Schindlerus in Lex.
col. 1677. seq. Hic intelligitur metaphoricè summa poten-
tia, excellentia & auctoritas Diaboli, quæ à mulieris semi-
ne attrita & devastata. Synonymum ejus esse videtur גולגולת
quod propriè quidem cranium, per Synecdochen tamen
caput denotat Exod. 16, 16. Num. 3, 47.*

Pop: *Perperam Onkelos pro initio mundi sumit.*

XXIX. אתה Pronomen secundæ personæ mascul. gen.
num. sing. in plurali אתם In quinque locis sine ה occurrit,
forsitan scriptorum vitio. Radix ejus אני primæ personæ;
Ebraei enim frequenter Nun excludunt, præsertim in con-
nexionem syllabarum, cum ei subjiendum erat scheva mu-
tum, prout etiam hoc in loco Euphonia gratia rejicitur,
Dages forte in ה est compensativum literæ abjectæ. Signi-
ficatio ejus simplex est, Tu, nisi quod sæpè vices verbi sub-
stantivi suppleat, ut Gen. 3, 12. 1. Sam. 26, 15. Psal. 82, 6.

Pop: *Minus convenienter derivatur à Chaldoeo אתך.*

XXX. תשובו Idem verbum, eadem cōstructionis ratio,
quæ superius th. 27. annotata. In fine est suffixum נו me-
diante soegol. Vitroque quidem est idem verbum, attamen
ob variationem subjecti & declarationem additam aliter.

XXXI. עקב Est nom. masc. gen. accus. casus. Est ipsa
radix, à qua est עקב calce tenuit: hinc Jacob dictus, quod fra-

eris calcaneum tenuerit. Propriè significat calcaneum, extremam pedis partem, à figura curva. Metaphoricè finem, terminum cuiuscunq; rei designat *Gen. 49. 19.* item præmium, quod ultimo loco dari solet *Psal. 19. 12.* Aliquando de impostura & fraude usurpatur *Iob. 8. 13.* Onkelos itidem hanc vocem Metaphoricè sumit pro ultimis mundi temporibus. Nam Chaldzi hic metaphoram observant, quod sicut calcaneus est corporis extremitas: sic remedium à Messia afferendum in extremo mundi tempore sit venturum. Hinc dies Messiaë passim in sacris dies postremi appellantur. *Hos. 3. v. ultimo. Hebr. 1. 2. 1. Iob. 2. 18.*

Hog; 1. Erudite reddidit Lutherus in die Versen stehen / licet Zangero valde displiceat.

2. Inepiè verò Dietenbergius, du wirst ihren Versen gehässig sein.

XXXII. Geminus itaq; eventus, ex eo certamine futurus pronunciat: prior est *lethalis* serpenti nostræ salutis: posterior gravis quidem; at tamen *curabilis* per autorem nostræ salutis. Prior pars eventus est *contritio capitis Diabolici*: ita enim Christus caput s. principem damnati exercitus adortus est, ut eum cum summa sua potestate, robore, viribus conculcârît, eoq; ipso totum exercitum Diabolicum dissipârît, generiq; humano pristinam libertatem recuperârît *Col. 2. 14. 15. 1. Cor. 15. 55. 56. &c.* Hæc per analogiam egregiè declarantur, cujus duo membra sunt: unum assimilans est serpens & caput; alterum adumbratum Diabolus, qui serpenti assimilatur, ejusq; potestas. Serpentem capite contrito interire. Physiçi scribunt, non verò, si alia quâvis corporis parte vulnereetur; hinc est, quod maximè caput curari solent. Quod naturaliter de serpente prædicatur, id per similitudinem more scripturis usitato ad serpentem infernalem transfertur, cujus caput conterere, nîl aliud est, quàm ejus opera destruere *1. Iob. 3. 8.* eum suis subicere pedibus, & triumphum agere de omni ejus potestate *Col. 2. 15.* mortem

tem principi mortis afferre *Hebr. 2, 14.* quemadmodum etiam rebus à Christo gestis & promissionibus Evangelicis sumus confirmati. Deinde *caput serpentis* nominatur: caput verò usitatè principium rei, vel illud quod præstantissimum est, notat: estq; caput sedes phantasiæ & intellectus, in quo aculeus serpentis venenatissimus residet: significatur Messiani omnem vim & akum, in quo Satanæ potestas, regnum, Tyrannis sita sunt, totaliter destructurum. Hæc speciosa victoria est, quam de Diabolo semen mulieris repottavit.

Pop: 1. Habetur in hoc textu verè promissio Evangelica.

2. Christus contrito capite serpentis totum genus humanum redemit.

3. Obædientiâ, qua divinis mandatis præcipuè Christi præceptis exhibetur, æternam salutem non consequimur.

4. Caro Christi verè donorum infinitorum particeps est facta.

XXXIII. Posterior eventus pars, est *calcanei attritio*: Defendet se quidem Diabolus omni vi, nec planè illæsum in pugna hac cruenta semen mulieris dimittet, sed quid ipsi proderit? calcaneum ei conteret. Non enim vicissim ipsi caput attingere poterit; sed calcaneo tantum alteri noxam inferet, ita, ut cadat quidem victor ejus, altero tamen statim resurgat. Quæ omnia sine omni controversia de passione, morte & resurrectione Christi intelligenda sunt: ita enim in mulieris semen omnes ardetes suos impulit Satanæ, ut illud cruci adegerit; sed nihil eo factum est; nam morte vitam reparavit, & moriendo Satanæ vires effregit. Innuitur quoq; phrasi hac: tu conteres ei calcaneum; Diabolum, hostem & Christi & membrorum infensissimum, non apertè, sed per cuniculos: Non in os, sed quasi adverso ventigio: non vi, sed fraude, Filium DEI, ejusq; membra adorturum esse: quemadmodum serpens faciem blandientem & caudam pungentem habens, hominem fraude aggreditur. Id quod ex omnium seculorum

historiis patet Venit enim aut rectus aut tortuosus *Esa. 27. 1.*
Vel Leonem egit, sciendo: vel Draconem, fallendo. Il-
lud in seculis violentiæ sub Imp. Romanis & decem a-
cerbissimis persecutionibus: Hoc in seculis fraudulentæ
sub variis hæreticis: Vtrumq; in seculis fraudulentæ vio-
lentiæ & violentæ fraudulentæ, partim sub regno Maho-
metico in Oriente, partim sub Anti-Christiano in Occiden-
te ad oculos demonstravit.

Notæ: 1. Non est absurdum idem de pluribus intelligi, de uno
principaliter, & proprie; de altero secundario.

2. Christus calcaneo lesus, iram DEI & infernales dolores
in sanctissima sua anima sensit.

3. Christus suâ morte verè pro peccatis mundi satis-
fecit.

DEO sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Domi-
num nostrum JESUM CHRISTUM

Amen.



Adjectanea.

I. An Germanicum *Traw* sit à *tr* &
Affirmatur.

II. An Germanicum *Traw* sit ab
antiquâ appellatione *vira* & Ita vi-
detur.

III. An

III. An rectiùs scribatur Ebræus
quàm Hebræus? Rectiùs, quia est ab
Eber.

IV. An linguá Ebræá vicissim ute-
mur in alterá vitá? Verisimile est.

